DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
QUERQUERO VETERUM,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
AUGUSTO & SERENISSIMO REGIO PRINCIPE ac DOMINO,
DNO. FRIDER. WILHELMO,
REGNI BORUSSIÆ ELECTORATUSq; BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO,
BENIGNISS. FACULTATIS MEDICÆ INDULTU
PRÆSIDE
DN. CONRADO JOHRENIO,
PHIL. & MED. U. DOCT. FACULTATIS SUÆ SENIORE & PROF. PRIM. p. t. DECANO,
PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS,
Publicæ Eruditorum disquiſitioni
ſubmittit
Ad Diem XV. Februar. Ann. M DCC X.
SAMUEL JAENICHEN,
Fürſtenbergâ Luſatus.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

Σὺν Θεῷ.

Cap. I.

Etymologiam Qverqueri continet.

QUerquerum ſive *Querqueram* dicas perinde, epitheton enim eſt, prout vel cum morbo vel cum febre conjunxeris aut alterutrum ſubintellexeris; *Dacerius* in notis ad *Feſtum* : ſic *Lucilius* in reliquiis ex incerto Sat. Lib. ʃ. 18.

Querquera conſequitur febris capitisq; dolores

& §. 91.

Jactans me ut febris Querquera.

Plautus in fragmentis Frivolariæ ex emendatione Scaligeri.

Is mihi erat bilis, aqva intercus, tuſſis, febris Querquera.

Item *A. Gellius* - An tu fortè morbum appellari hic putas ægrotationem gravem cum febri rapidâ &

Querquera, *lib. 20. cap. 1.* Reinesius *Libr. III. var. lect. cap. XV. pag. 574.* In stricturis ad interpretationem libelli *Kuranidôn* latino - barbaram, qua *pag. 50. Querqueram* exponat *coturnicem:* esse autem *ait,* febris epitheton ἀπὸ τȣ̃ καρκάρȣ i. e. tremore: Querquerum etiam absolutè pro febre poni apud *Minutium Felicem* in *Octavio*, ubi Cæcilius ethnicus ita contra Octavium Christianum disputans introducitur; vid. Edit. *Ouzelianæ* in 4to pag. 12. & novissimæ *Gronovianæ* in „8vo. pag. 118. & 119. Tu, qui immortalitatem „posthumam somnias, cum periculo, *Gelenius* edidit „*Querquero*, quateris, cum febribus ureris, cum do„loribus laceraris, nondum conditionem tuam sen„tis? nondum agnoscis fragilitatem? invitus miser „infirmitatis argueris, nec fateris? Antequam verò progrediamur, notanda prius venit Criticorum circa hunc locum differentia, dum alii *periculo*, alii *Querquero* rectius legi contendunt, inter istos *Nic.* „*Rigaltius* in Observ. ad dict. loc. nam quis, *inquit*, „ipsâ periculi præsentiâ non quatitur aut commove„tur? Facessant ad Nonium cum suo *Querquero*, „quibus exemplaris antiqui scriptura displicuit: Nec absque librorum autoritate hanc lectionem mutare ausus est *Desiderius Heraldus* in castig. & not. ad Minut. Fel. Eandem quidem celeberrimus *Gronovius* in notis suis defendit, *Cellarium* in hoc loco nutantem, & si commodum videretur ad dicendum *periculo quati*, præsertim in hoc loco & in tali nexu verborum, sequuturum *periculo* in suas partes tractu„rus; Quum Cicero in Tusculanis ponat *ægritudine* „*quati*, an non perinde dicetur *periculo quati?* Sicut i„dem *quatietur frigere corpus.* Nexum verò hujus

„loci

„loci& verborum, *pergit,* quis neget pulcherri-
„mum? â periculo incipit, quod est ante oculos,
„sed nondum attingit; interim intus immittet horro-
„rem & attinget, nisi cautela subterfugiat, quam
„mixtos & plenos Deo vates dare supra dixit: ac-
„cedit ad febres urentes, utpote quæ jam invase-
„runt & corpus atterunt, tertium addit dolorem
„lacerantem, diversum ab utrisque antecedentibus
„& ex variis causis oriri solitum, simul mentem &
„corpus mordentem. Priori apponit verbum qua-
„tere, quod vel ad conspectum rei abominandæ vel
„ad cogitationem imminentis discriminis, & jam ag-
„gredientis solet certè accidere. Ast neutrum no-
bis persuadebit, non enim, si non ex potestate
Grammaticâ, sed perspicuæ veritatis ratione, rem
ipsam dimetiamur, perinde dicitur, *periculo* ac *æ-
gritudine quati:* hoc in virum fortem ut imbecillita-
tis notam fortitudini repugnantem non cadere per
inductionem in Tusculam. Quæst. lib. III. pag. 1168.
edit. Gronov. validè argumentatur idem Cicero,
è contrario viros etiam fortissimos in epist. ad fa-
mil. 9. lib. 1. pag. 724. periculis moveri asserit; ma-
xima verò fortitudinis nota est præsenti animo con-
fidentissimè resistere periculo, quare *quati* & *moveri,*
cum aliàs sibi contradiceret ipse prælaudatus Cice-
ro, in eodem subjecto, viro nempe forti, moraliter
non esse idem & sic *periculo* ac *ægritudine* quati æ-
què dici non posse consequitur. Nec videmus ne-
xum illum pulcherrimum, quem sibi effingit vir ce-
leberr. longissimo tractu arcessitum, confunduntur e-
nim extrinsecus contingentia, ut *periculo,* cum sta-
tu intrinseco humani corporis & naturali præter

 natu-

naturam immutato, qvo si actiones quædam aut pars saltem aliqua lædatur, morbus, quò plures, aut si totum hic corpus occupet, eò magis universalis audit; & certè nihil quicquam, quod nos imbecillitatatis aut præsentius arguat, aut fragilitatem corporis efficacius demonstret. Hinc morbum cum morbo, generali & vulgari distinctione *febris algentis* sive *Querqueri* & *urentis* πυρετȣ simpliciter & propriè ita dictæ, quam *Causum* vocant, jungendo dolores ex utroque aliôve multò elegantius per antithesin connecti, in proximè autem cit. loc. sequentibus ab intrinsecis ad extrinseca, â communibus & minoribus ad majora, minas, supplicia, tormenta, cruces, non modo ad pericula, sed & præsentes mortes assurgendo manifestam digressionem fieri putamus.

Aliis altera ex edit. *Gelenii* magis arridet lectio cum *Querquero* quateris, quæ & revera naturæ ipsius rei, & commodior & aptior; Huic præter supra dictum *Reinesium* & â Gronovio nominatos *Balduinum*, *Ursinum*, qui nobis non sunt ad manus, *Jo. â Wower* in not. ad Min. Fel. oct. p. 111. *Petrus Colvius Brugensis* in not. ad *Apuleji* apolog. I. pag. 249. *Julianus Floridus in notis* ad eundem loc. pag. 846. ex *Pricæo*, favent & *Querqueri* vindices, non aliter accepisse Minutium Felicem in Octavio extra dubium ponunt. Cur verò *Elmenhorstius* & *Ouzelius* in suis commentariis ac notis edit. Ouzel. hunc locum quoad primum *cum periculo quateris*, intactum reliquerint, sequens autem *cum febribus ureris* commentati fuerint, nescio, cum tamen illum *Elmenhorstium*, idem *Gronovius* ex opinione suâ vitiosè in edit. Hanovianâ *Querquero* commentantem nuncupet. Denique *Ludovicum Carrionem*,

nem, si mentem ejus *Apuleji* locus; mox referendus, subiisset, in partem hanc ultrò cessurum fuisse, nulli dubitamus; en quæ libr. 11. cap. XVIII. Emendat. & Observ. pag. 181. *Thes. Crit. Gruteriani* „tom. III. insert. scribat: *Querquero* rectum esse vide„ri poterat, nisi sequeretur; *cum febribus ureris*, nam „& *querqueram*, in febribus esse in *Gellio* diximus; „& alioquin *Querqueram*, ut in *Festo* est videre non „*Querquerum*, dicebant antiqui, antiquiores libri: „*cum periculo quateris*, quod tamen ipsum esse rectum „& huic loco deberi temerè nolim asseverare.

Sed redeamus ad institutum, supra ex mente *Reinesii* diximus, *Querqueram* etiam *absolutè* poni pro febre loco *Min. Fel.* jam modò excusso: quod itidem fieri vide„tur decantato illo *Apuleji* loco apolog. 1. posse dici„tis ad res venereas sumpta de mari spuria & fasci„na, propter nominum similitudinem, qui minus „possit ex eodem littore calculus ad vesicam, testa „ad testamentum, alga ad *Querquerum*? Ast non minus apud *Arnobium* in disput. adversus gentes libr. 1. *Querqueram* pari modo usurpari constat, quando „ait: Christus enim scitur, aut admotâ partibus „debilitatis manu, aut vocis simplicis jussione aures „aperuisse surdorum, exturbasse ab oculis cæcita„tes, orationem dedisse mutis, articulorum vincu„la relaxâsse, ambulatum dedisse contractis, vitili„gines, *Querqueras* atque intercutes morbos omnia„que alia valetudinum genera, quæ humana corpo„ra sustinere nescio quæ voluit importuna crudeli„tas, verbo solitus imperioque sanare. Ita est, & quidem rectè; quis enim nescit sæpissimè Latinos adjectivis substantivè uti? interim tamen est & ma-

 net

net *Querquera* f. *Querquerus* adeò febri specificum & proprium *adjectivum*, ut cum aliâ re compositum, quantum scimus, nullibi reperiatur: Sumitur autem *absolutè*, non pro febre *in genere*, sed pro algente & cum horrore tremente *in specie*; quo cum adprimè concordat communis & vulgaris Germanorum loquendi modus, *Er hat das* Kalte; sic anus quædam â vagabundo scholastico appensâ obsignatâ schedâ olim curata refertur, quâ postmodum reclusâ inscriptum legebatur: *Die Alte hat das* Kalte, *hohl der Teuffel die Alte, so vergeht ihr das* Kalte. Certum in eo omnes convenire quotquot hactenus vidimus interpretes, *Querquerum* sive *Querqueram algentem esse & cum horrore trementem febrem*; licet unus alterve aut verbum aliquod destituat aut aliud supponat. *Festus* vocat *Querqueram* febrem, *gravem* & *magnam*; nam quidam *Quercum* dictam volunt, quod id genus arboris cum grave sit ac durum, tum etiam in ingentem evadat altitudinem, quibus duritiei & magnitudinis notionem tradit simul ac sævitiei, quam *Lucilius* versu supra citatum

Querquera consequitur febris, capitisque dolores

sequente exprimit:

Infesti mihi, tanquam * *Rondes Icadionque*

* quos sævissimos piratas fuisse Franc. Jan. *F. Dousa* notat.

Aurelius Opilius frigidam, *ait*, dici & cum horrore trementem. *Paulus* Festi abbreviator frigidam cum tremore, quæ ejusdem *Lucilii* versus *Jactans me ut febris Querquera*, apertè satis indicat atque confirmat. conjunge hæc querqueræ attributa & nihil hic, quod non ipsius sit, dici videbis. Duram & gravem esse,

quia

quia chronica & totum corpus affligendo prosternit, negabit non Medicus; jactatio quassum, & hic ex frigiditate horrorem præsupponit & tremorem. Unicus est, nî fallimur, *Pricæus*, qui hunc *Apuleji* locum commentans, contrariâ stet sententiâ, negan„do *Querquerum algidam esse febrem*: Si Querquerum, „*inquit*, ex se frigidum ad quid alga? ut intendatur „frigus? nugæ. algam facetè *Apulejus* ut remedium „caloris posuit: *Querquerum* itaque censeamus oportet „*febrem calidam & siccam*. Sed hoc ex fundamento convellitur & locus quæstionis de *Pricæo* â *P. Petito* Libr. 1. Miscell. Observ. Cap. XXII. dextrè vindica„tur his, quæ transscribimus verbis: Quasi de legi„timi remedii inventione ibi ageretur; & non ad „hominem esset argumentum, ad eorum scilicet „redarguendam absurditatem, qui ex solâ nominum „convenientiâ & allusione dijudicarent, quod cui„que morbo oportunum esset remedium. Nam si „*Querquerus* morbus vehementi frigore est infestus, „tanto minus algida, & quicquid algori quocunque „modo est affine, ei convenire par est. Et tamen „captanti remedia ex eâ similitudine, quam nomina „quarundam rerum præferunt morborum nomini„bus collata, consentaneum est algam ob hoc ipsum, „quia algorem sonat, rigoris illius, â quo *Querqueræ* „*febris* dicta est, optimum esse remedium: perinde „ut calculus litoralis eadem vocum vestigia sequen„ti, efficax esset vesicæ calculi medicamentum, „cancer animal ulceris cognominis. Quæ similitudo „nominum morbi & remedii manifesta in verbis *A*„*puleji*, *Pricæum* admonere poterat, *Querquerum* ibi „induci eo sensu quo veteres acceperunt, pro eâ sci„licet

„licet febre, quæ ægrotos frigore quatit; ab eo fri-
„gore & importuno tremore nomen adepta.

Denominari autem opinamur â *Quercu*, ut Latinum â Latino, quam ideò quidam appellatam existimant, quod hæc arbor gravis sit, sive quod in miram amplitudinem crescat, *Querquerum* enim grave ac magnum veteres dicebant, propter quod & febrem frigidam cum tremore *Querqueram* nominabant. *N. Perott.* Sed melius, quod â ventis concita, vel ab aliâ vi externâ impulsa concussaque terribilem quendam stridorem & horriferum edat strepitum, quem antiquitus pro reverentiâ & majestate loco comparandis egregiè & mirâ calliditate in rem suam convertere noverunt sacerdotes gentiles, imò tantâ *majestate locum & sacro implevere timore*, ut Cæsaris milites ægrè ad evertendum lucum Massiliensem, nisi Dux ipse, superstitione præteritâ, arreptâ securi primum ictum animosius intentâsset, induci potuerint, recitante *Lucano* de bell. civ. Libr. III. v. 429. & seq.

Sed fortes tremuere manus motique verendâ
Majestate *luci, si robora sacra ferirent,*
In sua credebant redituras membra secures.
Implicitas magno Cæsar terrore cohortes
Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Ausus, & aeriam ferro proscindere quercum,
Effatur merso violata in robora ferro.

Et in dandis oraculis: Exemplo sit, vocalis illa *Dodonæa Quercus* antiquâ religione, & oraculo omnium Græcorum antiquissimo, Delphico longè priori venerabilis, cujus mentionem facit *Homerus* Odysf. Ξ.

Τὸν δ' ἐς δωδώνην φάτο βήμεναι ὄφρα θεοῖο
Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ.

Hunc

Hunc in Dodonem dicebat ire, ut Dei
Ex quercu *procerâ Jovis sensum audiret.*

Jovis itidem *Ammonis* in Africâ, de quô *Silius Italicus* libr. XI. c. f.

Mox subitum nemus, atque annoso robore lucus,
Exiluit, qualesque premunt nunc sidera Quercus
A primâ venere die, prisco inde pavore.
------- ------- -------
Arbor numen *habet, coliturque tepentibus aris.*
Ecce intrat subitus vatem Deus, alta sonoro
Collisis trabibus voluuntur murmura luco,
Ac major notâ jam vox prorumpit in auras.

vide sis *Ant. van Dale* Dissert. 1. de Oraculis vet. ethn. præsertim Cap. IX. & X. super hâc re prolixius differentem. Sed ut ad institutum redeamus; *Martinius* in Lex. philol. *Quercum* ducit â Græco κέρχω *exaspero* unde κερχαλέος i. e. ξηρὸς, σκληρὸς, τραχὺς & talem esse *Quercum duram* arborem & *aspero cortice*: uti verò nobis probatur prius, sic ratio denominationis non ita commoda apparet, κέρχω enim vel κέρχομαι non simpliciter *exaspero* aut *exasperor*, sed & ita, ut simul raucum *creperumque* sonet, significat; idem κερχάω, κέρχνω, unde verbalia κερχαλέος, κερχώδης, κερχνὸς &c. *ex asperitate raucum* & *creperum quid sonans*, quæ *Hippocrati* & *Galeno* frequenti usu veniunt: κερκὶς *radius textorius* aut *pecten*, quam aptè & bellè hoc verbum cum proprietate motus sui congruit? & *Querquerdulam* â *stridulâ strepenteque voce* nuncupari, quis ibit inficias?

Nec alienum est, quod *Santra*, apud Festum, *Querqueram* ex Græco, qui ejusmodi tremorem dicant κάρκαρον, deducat, & *Paulus* frigidam cum tremore

à Græ-

â Græco κάρκαρα certnm esse velit dici, unde & *carcer*; hocque confirmari videtur eô, quod de Jugurthâ Numidarum Rege in carcerem detruso, attonitum simul ac cavillantem dixisse: Ἡράκλεις! ὡς ψυχρὸν ὑμῶν τὸ βαλανεῖον, *Mehercle! quàm frigidum vestrum hoc balneum*, *Plutarchus* in Vitâ Marii & ex eo *Freinshemius* in suppl. Liv. libr. XXXII. in loc. libr. LXVII. Liv. cap. XX. commemorat. item quod in *Evang. Matthæi* cap. viij. vers. 12. & cap. XXII. vers. 13. loc. parall. legitur: Δήσαντες αὐτοῦ πόδας καὶ χεῖρας, ἄρατε αὐτὸν καὶ ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον; ἐκεῖ ἔσαι ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. *Ligatis pedibus & manibus ejus tollite eum & conjicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.* Κάρκαρα enim â nonnullis accipi traditur pro μάνδρας, *claustro* seu *septo*, quo noctu clauduntur pecora; item pro *speluncâ*: vid. *Stephani* Thes. ling. Græc. & *Scapulæ* Lex. cui voci caput est καρκαίρω, *resono* l. *pulsatus vibro & tremo*, qualiter illud *Homeri* iliad. Y

--- κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσι,
Ὀρνυμένων ἄμυδις.
--- Sonitum autem dedit terra pedibus
Concurrentium simul.

Quod & *Virgil.* libr. VII. Æneid. vers. 722. imitatur,

--- pulsuque pedum tremit excita tellus.

Quibus concludimus, omnia hæc verba in unum eundemque sensum cadere, quæ licet secundum etymologiam Græcam â se invicem non deriventur, proxima tamen affinitate cognata esse videri.

CAP.

Cap. II.

Febrim distinguit & explicat.

FEbrim olim pro Deâ habitam & gentili veterum Romanorum superstitione ei & templa & aras dedicata fuisse ex *Cicerone* de nat. Deor. libr. III. „sic loquente constat: Febris enim fanum in palatio, „& Orbonæ ad ædem larum & aram malæ fortunæ „Esquiliis consecrata videmus. *item* lib. II. de legib. „Ara vetus stat in palatio *Febris*: quod ex eo *Plinius* Hist. nat. lib. II. cap. VII. de Deo, repetit. *Febrem* „templis coluisse quorum ad huc unum in palatio, „alterum in areâ Marianorûm monumentorum, ter„tium in summâ parte vici longi extet *Valerius Max.* lib. II. cap. V. §. ult.. perspicuè consignat; idem *Cl. Ælianus* var. Hist. libr. XII. cap. XI. videre itidem est ex objectionibus, quibus vesanum illum cultum, ab ipsô Cicerone loc. cit. præced. improbatum, gentilisque religionis vanitatem priores Christianæ doctrinæ propugnatores acerrimè perstringebant, uti *Prudentius* in Hamartigeniâ

Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
Consecrâsse Deas, Febrem *scabiemque sacellis,*

„& *M. Minucii Felicis Octavius*: Cloacinam Tatius & „invenit & coluit: pavorem Hostilius & pallorem; „mox à nescio quô *Febris* dedicata: hæc alumna ur„bis istius superstitio morbi & malæ valetudines. Iisdem & repetitis verbis lib. de idolorum vanitate *Cyprianus*; quosque omnes verbôtenus recensere nolumus, *Lactantius* lib. I. cap. XX. *Clemens Alexandrinus*

admonit. ad gentes pag. n. 24. *Augustinus* de civit. Dei lib. XX. cap. XIV. Lib. III. cap. XII. XXV. Lib. IV. cap. XXIII.

Statuam a. Febri in fanis erectam legisse non meminimus, illam quam *Lucianus* in philopseude pag. n. 339. Tom. II. fabulatur; triduô loquentem Eucratem sanâsse aligidâ febre pereuntem - - ejusdem esse immittere febres in quos voluerit & ejicere - - & paulô post seq. pag. multos ante pedes ejus obolos jacuisse, ac alia quoque numismata nonnulla argentea cerâ ejus cruri affixa, laminasque ex argento vota alicujus aut mercedem restitutæ sanitati eorum, quos febre liberârat. non *Febris* Deæ, nec alterius sospitatoris Divi, sed *magicam* seu *Talismannicam*, ideò ut fannis eludat effictam fuisse, ex noto authoris ingenio & argumento dialogi evincitur. Miramur sanè *J. P. Thomasinum* hunc locum non inspexisse penitius, quando lib. de donariis veterum cap. XXV. de ultimo memorato ita judicat; plenè profectò & cu-„riosè omnia, quæ ad superstitionis ritum spectant, „quænam ea *(statua)* tamen fuerit, nulla mentio. *Febris* „fuisse haud dixerim, quum solis ea Romanis in ho-„nore esset; quin potius *Æsculapii*, aut *Hygiæ*, cujus „venerationem à Græcis institutam in confesso est. benè quidem quò ad priora, secus de statuâ cujus fuerit, una enim eademque de quâ in præcedentibus Eucrates & quam *Pelichi* expressè nominat. Verùm in ea remedia, quæ corporibus adnexa (melius fortè *adnixa*) fuerant, delata *Valerius Max.* loc. supra cit. innuit, quod de *votivis tabulis*, quibus morbus ejusque recuperatæ valetudini remedium inscripta erant, suspensis intelligendum esse apertè comprobat illud *Tibulli* lib. I. Eleg. III.

Nunc

Nunc Dea (Isis) *nunc succurre mihi, nam posse mederi*
Picta *docet templis multa* tabella *tuis*.

Strabonis itidem lib. VIII. de Epidauro agentis: Erat „verò (*Argis*) templum (*Æsculapii*) ægrotantium „multitudine usque, quaque refertum, pendenti„busque tabellis, in quibus sanati languores erant „inscripti. Quemadmodum & in Coâ fiebat insulâ „pariter & Tricâ. Quibus cum & conferri potest *Plinii* Hist. nat. lib. XXIX. cap. I. Interdum & in tabellis *titulum* solebant adjicere in indicium, quis suspendisset & cur? *Ovid.* l. 2. Amor. el. 13. ubi pro Corinnâ prægnante vota facit:

Adjiciam titulum, *Servatâ Naso Corinnâ;*
Tu modo fac titulo *muneribusque locum.*

Et Metam. l. 9. in fin.

-- -- -- -- *dant munera templis,*
Addunt & titulum, *titulus breve carmen habebat,*

Statius l. 5. sylv. 2. v. 147.

Belligeris hæc dona diis, hæc tela dicavit:
Cernis adhuc titulos;

„Quod & suo tempore in Italiâ durâsse scribit *Georg.* „*Fabric.* in Româ p. 160. Et adhuc iis in locis, ubi „pontificiis superstitionibus inescati degunt homi„nes, præcipuè in Italiâ, moris esse novimus, ut à „morbis aliisvè malis liberati pictas tabellas in Sancto„rum ædibus suspendant, adjecto brevi titulo qualis „hic: PER GRAZIA RICEVUTA. Quasdam igi„tur tabellas in honorem tantum numinis gratique „animi indicinam ab ægris sanitati restitutis suspen„sas fuisse judico: quasdam vero, adjunctâ historiâ „tum morbi, tum remediorum. *Meibomius* Exerc. philol. med. de incub. in fanis deor. med. c. fact.

§. XXVII. Inſcriptionem notabilem in Tranſylvaniâ ſaxo inciſam & Deæ Febri conſecratam, *Zamoſii* indicio exhibet Theſ. inſcript. *Gruteri* No. I. pag. 97.

FEBRI. DIVAE. FEBRI.
SANCTAE. FEBRI. MAGNAE.
CAMILLA. AMATA. PRO
FILIO. MALE. AFFECTO. P.

five ſupplicans. ſive votum ſolvens.

Iratis etiam diis aras erectas & victimas ſacrificatas à Romanis teſtari nummos vejovis, pauoris, palloris & *Febris* &c. *B. G. Struvius* in Bibliothecâ numismatum antiquorum cap. II. pag. 160. tradit, quorum binos extremos vejovis & Febris obvios non habuimus, verùm mediorum pavoris & palloris duos familiæ Hoſtiliæ inſignes *Cont. Theſauri Brandenburg.* interpr. L. *Begero* pag. 557. pictos exhibet, de quibus alter interlocutorum *Archæophilus* Hiſto„riam, *inquit*, memini me in Livio (libr. 1. cap. „XXVII.) legisſe, appoſitè ad numiſmata in quorum „primo Caput *Pavoris*, in ſecundo autem *Palloris*, ade„ò nativis ductibus expresſit ſculptor, ut etiam in argento affectus videas, licet vitâ deſtituto.

Quâ verò ratione actum fuerit, numina adeò inviſa tantâ religione proſequi, anxiâ inquiſitione non indiget, quippe ex loco *Val. Max.* manifeſtè patet, præmittentis: Et cæteros quidem ad benefacien„dum venerabantur: *Febrem* autem ad minus no„cendum, templis colebant, idem *Alex. ab Alex.* „Gen. dier. lib. 1. cap. XIII. non ut opem ferret, „ſed ne obesſet, ſicut febris phanum & pleraque nu„mina præſanctè coluere: & paulò poſt. Sed quod „de malâ Fortunâ & Febri, idem de Poſtvertâ, & Proſâ,

„Prosâ, quarum Romæ duæ aræ fuêre, ac de Væjo-
„ve, Timore & Pallore, atque Averrunco & Robi-
„go diis, dictum accepimus. Siquidem hujuscemo-
„di numina, ne quid obesſent, nevé aliquid afferrent
„incommodi, Romani perſanctè habuêre, quos cane
& ove placabant. Aſt neutiquam tunc demum nata
erat illa Romanis religio, quæ Ægyptiorum prima
& vetuſtisſima fuerat; Veriſſimum enim eſt omnem
idololatriam ſive multiformem tot commentorum
Deorum Dearumque cultum ex malè cognitis Ægy-
ptiorum Hieroglyphicis ortum duxisſe, utpote qui-
bus rerum divinarum & naturalium myſteria, inſtar
meretricis ſine velamine nudæ, proſtituere piaculo
erat, non enim pati iſta arcana in aures pollutas
apertis verbis introire, ſolis prudentibus & ſumma-
tibus viris, ſapientiâ interprete, reſervata, conten-
ti ut ſint reliqui ad venerationem figuris & involu-
cris defendentibus à vilitate ſecretam: vid. *Lil. Gy-
rald.* oper. Tom. II. in præfat. ad Pythag. ſymbol. in-
„terpr. col. 637. & 638. & certè errorem hunc,
„in ſpeciem humanam effigiandi Deum, Afris, Græ-
„cis aliisque gentibus inde natum esſe, quod à pri-
„mis mortalibus acceperant, Deum condidisſe pri-
„mum hominem ad imaginem ſuam, (*Geneſ. cap. I. v.*
„*26. & 27.*) idcircò & ipſum Deum humanâ figurâ
credidisſe notat *Cluverius* German. ant. libr. I. cap.
XXXIV. inde ab Ægyptiis ad Græcos & Latinos, i-
mò per totum orbem disſeminata & propagata iſta
fuit religio, ita ut ſi incognitos olim & Orientis & Oc-
cidentis cum Septentrionalibus & Auſtralibus popu-
los ſpectes, non longè diſparem obſervabis ex eodem
principio, cum idem *Sol* illis & luceat & occidat;
quod

quod non absque causâ dicimus; *Ejus* enim cultus, neglecto summo creatore & vero Deo, aut non cognito, & antiquissimus & toti ferè orbi, licet diverso nomine, communis: Suspiciebant omnes fulgentissimi hujus sideris præeminentem majestatem & inde benignissimos in se redundantes effectus, virtutes in res naturales largè effusas, varièque determinatas potentias admirabantur; unde toties numina eorumque denominationes commenti sunt, quoties affectionem alicujus rei, aut vim majorem extra se positam adverterent. Ita tamen ut quotquot reliquorum sint numinum eorumque operum cuncta ad unicum summumque *Solem*, tanquam principium referri debeant, quod fusius docet *A. Macrobius* in Saturnalib. libr. 1. cap. XVII. & aliis; sufficit nobis ex eô, cap. XXIII. indigitâsse, brevissimam precationem Theologorum gentilium in sacris: Ἥλιε παντοκράτωρ, κόσμου πνεῦμα, κόσμου δύναμις, κόσμου φῶς, i. e. *Sol omnium creator, mundi spiritus, mundi potentia, mundi lux*, quâ indicant potentiam Solis ad omnium potestatum summitatem referri; & demonstrant:

Solem esse omnia.

Ergo & Plutonem, Jovem, Liberum patrem, & Apollinem, unum eundemque esse &c. uti apud *Macrob.* l. c. „cap. XVIII. Consultus, *inquit*, Apollo Clarius, quis „Deorum habendus sit, qui vocatur ἰάω, ita effatus est:

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω
χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
Ἠέλιον δὲ θέρεος, μετοπώρου δ' ἁβρὸν ἰάω.

Cogita summum omnium Deum esse Iao;
Hieme quidem Plutonem, Jovem autem vere incipiente,
Solem æstate, autumno festivum Iao.

non

non solùm sospitales, beneficos, juvantes, sed & è contrario, si numina læsa fuerint, iratos, ultores, tonantes, infestos & ferales; ideoque notabilis locus *A. Gellii* Noct. Att. lib. V. cap. XII. præmissa etymologiâ nominum Dijovis & Vejovis: Simulachrum igi-„tur Dei Vejovis quod est in æde (Romæ inter ar-„cem & Capitolium) sagittas tenet, quæ sunt videli-„cet paratæ ad nocendum, quapropter eum Deum „plerique Apollinem esse dixerunt, immolaturque „illi ritu humano Capra; ejusque animalis figmen-„tum juxta simulachrum stat. Propterea *Virgilium* „quoque ajunt, numina læva *in Georgicis* quoque de-„precari, significantem quandam vim esse hujusce-„modi Deorum in lædendo magis quam juvando po-„tentem. Versus hi sunt: Lib. IV. 6. & 7.

In tenui labor, at tenuis non gloria, si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo

Insignis pariter nota *Servii* in vers. 65. & 66. eclog. v. ejusdem

Sis bonus ô fœlixque tuis! en quattuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, *duas altaria* Phœbo;

„Sagittæ, quibus infernus Deus & noxius judicatur. „unde & Apollo dictus ἀπὸ τῦ ἀπολλῦειν, (à perdendo.) „Hinc etiam *Homerus* Apollinem, tàm pestilentiæ di-„cit quàm salutis authorem; & *Horatius* ait carm. sæcul. stroph. 9.

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros Apollo.

„Unde *Virgilius* rationis hujus peritus; per altaria, „supernum numen ostendit; per parem numerum, „infernam indicat potestatem: quô *beneficum* eundem „& *maleficum* deum esse declaratur; quare & nonnun-

quam albis & splendidis, nonnunquam cœrulis sive atro colore infectis simulachris, geminam sui numinis & speciem & potentiam significantibus pingebatur. Sic *Meander* in libr. de mysteriis: Diis inferis atras, cœlestibus purpureas convenire, *ait*, quippe color albus faustus, auspicatus & bonus censebatur, è contrario niger sive ater inauspicatus, infaustus & malus, quasi Cassio Parmensi *Val. Max.* lib. 1. cap. VII. §. 7. & M. Bruto, *Plutarcho* eum *recensente*, *κακοδαίμων* sive *malus Genius* apparuisse dicitur: *Horat.* lib. 1. Satyr. IV.

Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Zoroaster referente *Plutarcho* de Iside & Osiride pag. n. 369. bifarium Deum statuit boni alterum, alterum mali opificem, illum nomine *Oromazan* meliorem similem esse luci, hunc pejorem *Areimanum* tenebris itemque *Dei* & *Dæmonis* charactere ab aliis distingvi; utrumque horum viginti quatuor (conjunctim 48.) quemque naturæ suæ conformes minores condidisse deos *ἀντιτέχνους* & vicissim in quolibet hæmisphærio duodecim collocâsse, quorum dominio & potestati quævis mundana subjaceant & pareant: apparitores sive vocentur, Geniive boni & mali. Hoc *ovum* illud *Zoroastræum* mundi symbolum, cujus schema *P. Athan. Kircherus* in Oed. Ægypt. Tom. III. Syntagm. V. Obelisc. Barberin. cap. III. pag. 274. & 275. exhibet & explicat: conspiciuntur in eo bonorum & malorum geniorum notæ, apices nimirum adversâ vicissitudine non solùm directis, sed & candido nigroque colore alternantes, sole in medio Zodiaci posito. Exindè Genii natalitii, sanctis etiam patribus bonorum & malorum angelorum nomine credi-

crediti, deducti videntur, de quibus *Horatius* lib. II. Epist. 2.

Scit Genius, *natale comes qui temperat astrum,*
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus & ater.

Priscos itidem Germanos, imprimis malum Deum, quem atrum dixêre, veneratos fuisse non reticendum, & fortè de Noricorum Deo *Tybileno,* quem *Tertullianus* in Apologet. cap. XXIV. c. f. *Belenum* vocat, & *Endovellico* veterum Celtarum, præter Reinesium, quædam minus obvia nobis suppeterent, nisi odiosa prolixitas, in quam præter intentionem dilapsi sumus, prohiberet, quare unico exemplo, quo res satis inclarescit, apud *Helmoldum* lib. I. Chronic. Slavorum cap. LII. (LIII.) consummamus, quando „scribit: Est autem Slavorum mirabilis error: nam „in conviviis & compotationibus suis pateram cir„cumferunt, in quam conferunt, non dicam conse„crationis sed execrationis verba, sub nomine Deo„rum, *boni* scilicet atque *mali* omnem prosperam for„tunam â bono Deo, adversam â malo dirigi profi„tentes, ideò etiam malum Deum suâ lingvâ *Diabol* „sive *Zerneboog,* id est, *nigrum Deum* appellant. Quod exindè mutuatus est *Cranzius* Vandaliæ lib. III. cap. XXXVII. & Vandalis suis, nec perperam, tribuit, quos eò expeditionem fecisse, ibique consedisse ex historiâ pariter ac vestigiis constat, cùm *Lemgoviæ* metropoli comitatus Lippiaci hodiè supersint binæ mœnium turres draconibus gentilitiis, altero rosis decoro, altero orbi superimposito apicibus erectis & eminentibus conspicuo, insignes; illam *Zerneboucg,* hanc solis symbolum *Gutersboucg* antiquo nomine appellant.

pellant. Neque exolevit hujus monstrosæ religionis cultus, apud Brachmanos reliquosque Gentiles, quotquot numeraveris, hodièque servari, quævis ferè hodœporicorum pagina docet, ut plura ejusmodi recensere planè supervacaneum foret: Satis ex præpositis patere autumamus, cœcos istos Gentiles, vero lumine divino, ex quo omnia cognoscimus, destitutos, in tantâ confusione numinum circa quorum originem æquè ac officia incerto pede ferebantur, dæmoniis istis, quorum nomine non rarò morbos dicebant, & consequenter Febri Deæ, tanquam supposito personali majoris noxæ formidine sacra fecisse.

Sed aliquantum digressi revertamur ad *Febrim*; dicitur *hæc* à *februo*. *februare* verò significat purgare & purum facere, expiare, lustrare: hinc *februum* quidquid piat purgatque; & *februamenta* purgamenta: *Censorinus* de die nat. cap. XXII. unde & *Februarius*, aliis *Februalis*, Romanis *Februlis*, extremus anni mensis quem veteres à Martio inchoabant, quod tum populus februaretur *i. e.* lustraretur ac purgaretur; idcircò & quæcunque denique purgamenti causâ in quibusque sacrificiis adhibita, *februa* appellabantur, purgatum verò *februatum*; *Sext. pomp. Festus* de verb. signif. lib. VI. in voce *Februarius*. & *Ovid.* lib. II. Fastor.

Februa *Romani dixêre* piamina *patres*,

Vid. & *Varron.* de L. L. libr. v. pag. n. 46. nec obstat quosdam à *fervendo* deducere; ut *Isidorus* orig. lib. IV. cap. VI. *Febris* à *fervore* dicta est, est enim abundantia caloris: & *Servius* ad *Virgilii* vers. 59. lib. III. Georg. *profuit* incensos æstus *avertere*, febrem id esse commentatur. A *ferveo*, enim seu *ferbeo ferbis* &

per

per metathesin *febris*, sic *Jos. Scaliger* locum varronis de Re Rust. lib. 2. cap. 1. Qui si à labore febrem habent ad apertum humido spiritu. Nam, *pergit*, scriptum prius suspicor *ferbent*, pro *fervent*, undè posteà *febrem*. J. G. Vossius in Etymologico: Estque *februorum* vox eâ formâ à *fervendo* facta, quâ *febris* ab eodem verbo dicitur: nempe à *ferveo* seu *ferbeo* est *ferbuum* & trajectis literis *februum*: quodque magis ex proprietate rei æquabili demonstratur: *Fermentum* sive *fervimentum*, quô massam in pistrinis assurgere & rarescere; quô vinum & cerevisiam à fæcibus purgari videmus; itidem à *fervendo*: *Febris* verò, quatenus aut quô respectu *febris* dicitur, nil aliud quàm massæ sanguineæ purgatio per fermentationem præternaturalem & impetu violentam, quam *effervescentiam* vocamus, ad differentiam *fermentationis* blandæ & naturalis, quarum neutra absque calore minore majoreve in actum traduci potest; non secus ac agris

------------- *Omne per* ignem
Excoquitur vitium atque exudat inutilis humor.

Virg. Georg. I. v. 87. & 88. sic & lustratio quæ moralis καθαρσις, igne plurimùm, & ferventibus undis fieri consueverat: uti *Ovidius* Fastor. lib. IV. vers. 785. & 786.

Omnia purgat edax ignis, *vitiumque metallis*
Excoquit. Idcirco cum duce purgat *oves.*

Ideoque non inconvenienter ab *Hippocrate* vehementissima febris πῦρ q. e. ignis absolutè dicitur, πυρετός verò leviorem significat, quandò a. illam, semper ὀξὺς vel ἄγριος, *acutus* vel *ferus*, additur: Interdum πυρετός κατ' ἀντίφρασιν rigor & horror seu horridus rigor

gor appellatur, vid. *Scap.* Lex. voce πῦρ. quod benè notandum. Gal comm. 1. in lib. de rat. vict. in morb. Ἡ τοῦ πυρετοῦ γένεσις ἐκτροπὴ τῆς ἐμφύτου θερμασίας, ἐπὶ τὸ πυρῶδες ἐστὶν i. e. Febris generatio est *calidi* nativi in *igneum* conversio. Antequam verò distinguamus febrem, præmittere duximus, quæ Foës. in Oecon. Hippocr. de hâc re hunc in modum commentatur: πυρετὸν „h. e. febrem vocaverunt antiqui eam febrem quæ „accendebatur ex humorum putredine absque partis „alicujus inflammatione, & quæ morbum per se con„stitueret, non alteri succederet, aut ejus esset „symptoma, eâque ratione ægrum febricitare aut â „febre affligi & tentari accipiebant. Reliquas ve„rò febres, quæ ex partis alicujus inflammatione vel „affectu incendebantur eas ex partis denominatione „efferebant, ut pleuritin, peripneumoniam, hepati„tidem, aut splenitidem: in quibus febris *symptoma* „est *non morbus.* Quibus lentam & hecticam adnumerabis.

Quô præmonitô, & quæ in censum nostrum veniat *Febris*, distinguimus in *algidam* sive *intermittentem* & *æstuosam* sive *continuam*, hæc ut plurimùm cum horrore aliquo ast breviori invadit, qui frigus dici non meretur, insequens autem æstus nunquam intermittit, licet interdum remittere, interdum exacerbari videatur, quo minus affligit eò *benignior*, quô plùs, eò *magis acuta*, aut cum subitaneâ virium dejectione *maligna* dicitur, non causâ sed gradibus diversæ. Illa non continuò, sed per intervalla reciprocante paroxysmo iterumque desinente urget ægrum, ita ut oscitatione & pandiculatione præviis, ab extremis sensim increscente jactetur frigore, quem excipit

subse-

subsequens æstus, implacabili siti molestus, quô respectu πυρετὸς, si ex opposito nôlis, fortassis à Græcis dicebatur, modò hôc, modò illô magis infenso; frigore verò tantum uri, quod beatus noster *Sylvius* in nosocomiô academico vid. ejus prax. lib. 1. cap. XXX. observavit, rarissimum est: algida verò, quando absolutè dicitur, quod præeunte algore se maximè ab aliis distinguat. Triplicem hujus prisco tempore, non longè etiam abhinc speciem ad incursionis typum asserebant Medici, *quotidianam* videlicet ex pituitâ, *tertianam* bile, *quartanam* melancholiâ ortivam; moderno verò tempore perspicaciores quotidianam strictè sumtam, quæ reverà *tertiana* duplex, non agnoscunt, neque pituita sola febri producendæ sufficit; Ideoque *Tertiana* & *Quartana* agmen ducunt & norma sunt, quâ duplices, triplices multiplicesvé, item quotidianæ, quintanæ & sic porrò reliquæ febres demetiendæ; Si autem alterius cum alterâ e.g. continuæ cum intermittente, concurrant symptomata, *composita* exsurgit febris, qualis *hemitritæa* est, ex principio judicanda. Denominationes alias febrium, quæ symptomata respiciunt cum aliis frequentia, formalemque essentiam febris neque determinant neque distinguunt, ut *siticulosæ, famelicæ, deliræ* &c. sanè plebejas non attendimus, & quis non ridebit intelligens cum malè cognitam *hemitritæam* sive *semitertianam*, *Vomitoriam* nuncupaveris.

Massæ Sanguineæ fermentationem præternaturalem esse Febrim, qualis sit, supra diximus, quod ut eò clarius ex opposito pateat, de genuinâ naturalis status indole non ex superficiariâ, sed verâ philosophiâ, quidpiam prælibare, haud abs re fore existimamus.

Tria

Tria omnium mixtorum corporum, ſic & ſanguinis principia hypoſtatica *Sal*, *Sulphur* & *Mercurium* agnoſcimus; *Sal* omne coagulationis fundamentum, ſolida reddit corpora, & cum fixum ſit proindè & alia figere poteſt, hinc rerum durities & quodcunquè corpus coagulatum eſt, beneficio ſalis immediatè coagulatum eſt. h. e. quod *Paracelſus* lib. de Morbis Tartareis cap. IX. pag. 297. edocet, *Ein jeglich Ding, das in ein* Corpus *gehen ſoll, das muſz durch die* Coagulationes *geſchehen. Nun iſt* Coagulatio Spiritus Salis, *in demſelbigen iſt die Krafft* Coagulationis, *alſo werden alle* Corpora *durch den* Spiritum Salis *in das* Corpus *coagulirt. Nun wiſſen auff ſolchs, daſz der eigenſchafften* Spiritus Salis coagulationis *mancherley ſeynd: Eine die da coagulirt ins Holtz, die ander in* Gemmas, *ander in Kräuter, ander in Metallen, ander in Stein, ander in Sandt,* &c. *Jedoch iſt alles* Spiritus Salis, *derſelbige iſt* Heros coagulationis. *wo nun ſolcher* Spiritus *iſt, und hat das* Subjectum *unter ihm, ſo coagulirt er daſſelbige* Subjectum *in ſein* Corpus. *Alſo handelt er in der gantzen Welt, alſo iſt er auch im Menſchen, nachdem und es geordnet iſt: Und der* Spiritus Salis *coagulirt alſo ein jegliches* Corpus *in ſein Ordnung, ſei-* „*ner* prædeſtination. Coagulationem intellige ſolidam „non fluidam. Aliàs Mercurius & Sulphura inflamma- „ta coagulari ſolent: & tamen illa coagulatio non acce- „dit ratione Salis fixi, ſed volatilis facti: Quamvis ex fi- „xo ſalia ſulphuris & Mercurii dimanaverint, Sal coa- „gulat liquida & fluida: ſolvit verò ſolida & craſſa, „quando in liquore convenienti reſolutum habètur & „debitè applicatur: nec contradictionem dicas, ſi idem ſal certo reſpectu & ſolutionis principium ſtatuitur. „*Sulphuris* officium eſt, pingui & oleaginoſâ viſcoſâque „ſuâ ſubſtantiâ ſalis propoſitam congelationem beni-

gnâ

„gnâ commixtione temperare, ne soliditate ac con-
„cretâ salium proprietate ligati Spiritus mechanici,
„actionum principes officiorum injusto committeren-
„tur dispendiô. *Mercurius* verò, quô nomine non vulgaris ille (quod & de Sale & Sulphure intelligi volumus) sed omnis aqua activâ aliquâ virtute dotata philosophis dicitur, licet magnâ analogiâ respondeant,
„assiduâ irrigatione duo priora actionum frequentiâ
„ad siccitatem & senium in horas festinantia, fove-
„ret, fluidâque & labili substantiâ, quâ quicquid pe-
„netrabile est penetrat, mixtionem omnium facilem
„redderet, quâ necessitate adjunctus est Sali & sulphu-
„ri Mercurius. *Sulphur*, qui *igni* comparatur, non per se subsistit, sed in Sale, omnis substantiæ fonte & origine fundatur, indeque nutritur, æquè ac *Mercurius*, ἀναλόγως *Aqua* aut *aër*, quo mediante tamdiu in hoc agit, usque dum universam Salis fixi naturâ in volatilem transmutaverit atque ex inferiori statu in superiorem & gloriosum (ita loquuntur Philosophi,) exaltaverit, ut ita Salis, sine quo diu stare non potuissent, beneficio ejus starent, quippe Sal, quia solida substantia subtiles operationes peragere per se non pote est: ac proinde in Sulphure & Mercurio ejus potestates ad actum deducuntur. Hæc illorum actio etsi reciprocâ contentione & mutuâ pugnâ perennis sit, nihilominus amicabili connubio junguntur unitaque virtutes & proprietates suas illæsas custodiunt, licet confundantur; tamque mirabili harmoniâ inter se conspirant, ut unum sine altero nec esse nec operari velit, cumque substantiam similarem sensibus exhibere debeant, tria unita & invicem mixta esse oportet. In his principiis omnium naturalium actionum potestates vigent & quæ fiunt eorum be-

D neficio

nescio absolvuntur. Hæc *Calidum innatum* & *Humidum primigenium* de quib9 *Ovidius* lib. Metamorph. Lib. I. v. 430.

> *Quippe ubi temperiem sumsêre* humorque calorque
> *Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus,*
> *Cumque sit* ignis aquæ *pugnax; vapor humidus omnes*
> *Res creat, &* discors concordia *fœtibus apta est.*

Hic est *motus* ille in principio â Deo per verbum *fiat* inditus, quem *Moses* non pri9 quàm in opere diei quinti (*Gen. cap. I. v. 20. & 21.*) voce ישרצו *jischrezu &* שרצו *Scharezu* nec sine mysterio exprimere voluit: Hic motus ille, quem fermentationem naturalem vocamus, quô generamur, nutrimur, & movemur, unô verbô vivimus & benè vivimus stante eâ principiorum æquali crasi & unione; hinc temperamentum εὔκρατον sive sanguineum, prævalente verò illorum uno cholericum, phlegmaticum aut melancholicum rectè dixeris: Quicquid quidam in philosophiâ secretiori minus versati obganniant, quorum omnis de nomine contentio & qui, si rei nomen supprimatur, continuò rem ipsam è medio tolli putant: Sed veritas semper est una; fallunt alios & ipsi egregiè falluntur. Pergimus; neutiquam verò, primâ suâ vi perpetuò starent hæc principia, quin potius mutuô attritu consumantur & naturali lege decrescant, nisi ex elementis communibus macrocosmi, aut alimentis & vestiantur & restaurentur & sustententur: in his eadem, sed impuritatibus omninò, maledictionis divinæ symbolo obvoluta delitescunt principia, quæ quidem â crassioribus, quibus constricta compedibus concoctione & digestione liberantur, excrementis, sulphure nempè fœtido cum magis terrestribus per posteriora & salinis minus evictis ast sero dilutis partibus per urinam excussis; transeunt tamen, quædam cum

chylo

chylo ad cor ulteriori fermentationi reſervatæ aut pro ratione primæ concoctionis vitioſæ, quas ſecunda & tertia corrigere neſcit, quæ eam aut incongruente copiâ impediunt aut inimicâ qualitate corrumpunt. Accedit *aer* externus, fugacis Mercurii inſtaurator & elementum analogum, tantâ neceſſitate conſpirans, ut cùm â cæteris operibus feriantur, â ſpirandi tamen functione nulla animalibus requies conceditur. Quapropter & â *Paracelſo* non fruſtrà *Myſterium magnum* vocatur: ille ſtatu ſuo, quô æquè ac flatu aut affuſione frigidæ ebulliens aqua ſiſtitur, ſanguinem efferventem cohibet, non ſolùm, ne nimis volatilia & ſui juris facta principia exhalent, ſed & ut diſcretas ſulphuris fuligines recedens ſecum vehat: grandiori verò igne exæſtuans ſulphur ſanguinis eò magis exagitatur, quo fit, ut ſublato glutine reliqua principia à ſe invicem ſeparentur & exaltatione immodicâ diſpereant, liquamine ſaltem putrido relicto. Hinc videre eſt, unde *corruptio* & quomodo per fermentationem etiam *moriamur*. Ex his quid *febris*, & quid *fermentatio* præternaturalis abundè patet; quibus cognitis, typum ejus ſecundum gradus facilè diſtingues: in compendio rem ſic habe; ſtante integrâ & ſalvâ mixtione principiorum, ſanguis ab excrementis naturali fermentatione per conſueta emunctoria purgatur munerique ſuo ritè peragendo eſt: auctâ quantitate ex aëre & alimentis, cauſis externis, licet non adeò æquali proportione, molis æquè ac virtutis, turbatur quidem mixtio ſanguinis præter naturam asſurgente efferveſcentiâ, integrâ tamen interim manente unione principiorum, quâ illuvies copioſius aſcita feliciter quidem aſt impetuoſè ejicitur, aut conſumitur. Talis eſt febrium intermittentium ra-

 tio,

tio,quibus defuncti & februati posteà saniores evadunt, quô respectu etiam *salutares* vocantur. Verùm in continuis violentiori sublimatione nexus principiorum dissolvitur, quæ à se invicem separata evanescunt, quò major hæc separatio, tanta major putredo & corruptio, Sulphur enim & Mercurium ope Salis conservari supra assertum, quò minor & hæc minor, parili modo â minori ad majus per gradus transeundo febres benigniores, deinde acutas, postremò malignas, & quomodo interdum intermittentes in continuas degenerent haud difficulter judicabis: liquent hæc omnia musti, rudi quidem, sed naturæ convenienti exemplo, illud fermentatione suâ ordinariâ â fæcibus purgatur & copulatis principiis, in vinum abit naturæ amicum, sublimatis verò spiritibus aut incendio deperditis, nil nisi vappa aut inutile & inimicum phlegma reliquum permanet.

Frigus, quod in intermittentibus æstum communiter præcedit, â sale fixo dependet, quod ut eò melius cognoscatur, duplex motus advertendus erit, alter propulsivus, coarctans, concentrans; alter intestinus, expandens & rarefaciens; illô frigus, hoc calor inducitur, uti uno ore & calidum & frigidum spiramus; priori modo succurrente inspirato aëre sulphur in sal agit, quod firmius eô cogitur, usque dum increscente vi sulphuris partes ejus contrario motui obtemperent & exæstuent. Ita sole oriente frigus intenditur, & lignum *Quercinum* firmiori texturâ solidius, durius & gravius, quàm pertinaciter admoto igni obnititur, donec incendio victum multò fortius urat; confer hoc cum *Querquero* & videbis quàm aptè & in hoc conveniant. Elegans experimentum â Dno. *Frid. Slario* Med. D. in congregatione Societatis Regiæ institutum, de frigore

per

per insignem ebullitionem producto, ubi frigidi calidique paroxysmi febrium liquoribus quibusdam commixtis similes esse ostenduntur; ex transactionibus philosophicis Anglicis n. 150. 10. Aug. 1683. in *Actis Eruditorum Lips. mens. Octobr. A. M. DC. LXXXIV. pag. 463.* recensetur, si placuerit, evolvendum. Accessiones demum periodicas fieri putamus, quod consumpta febrilis paroxysmo materia statum tempus requirat, quô eâdem quantitate circulatione sanguinis & humorum in officinâ cordis denuò colligatur & maturescat; sulphur enim quamdiu sali fixo non sufficit, neutiquam in operationem transit; motus itidem magis fixorum præsertim terrestriũ saburrâ adgravatꝰ tardior, unde non ita facilè solubilis, & tertianâ integro diei spatio posterior, contumax *Quartana:* quapropter & quod intelligentiâ quâdam non errante dirigatur, â *Pythagoricis, Priscano, Octavio Horatiano,* & aliis perveteribus Medicis *Saturni filia* dicta est, in cujus curatione nil pollere medicinam *Plinius* scripsit; pollutionibus, ut sunt cædes, culpa, menstrua, sanguinis potus, sacrarum avium vel vetitorum animalium carnes cibo datæ, solùm curari censuit *Democritus:* Quidam eam interpretantur *Plinii* locum lib. VII. cap. 50. *Et esse morbum aliquem per sapientiam mori.* Interim peculiare quid â veteribus, præter hominem, nulla animalia *caprâ* & *leone* exceptis, febre tentari curiosè observatum est: eas nunquam sine febri *Varro* de *R. R.* L. II. c. 3. pronunciat: Sacerdotes autem Ægyptios, si febricitantem hominem & auxilia sibimet comparantem significare voluerint, leonis simiâ vescentis hieroglyphicum ponere solitos fuisse *Pier. Valerian.* in hieroglyph. Lib. I. cap. X. commemorat.

Præmissâ ita Febrium summâ, cujus *Querquera* sit, inquirendum restat: continuis adnumerare, ne minima quidem nota indicio est; è contrario verò intermittentium esse, cum frigore tremulus horror arguit ac demonstrat, quæ verò ex his adeò exactè determinari nequit. Tertianam vix quis respicit, cum quartana uno quasi ore gravior ab omnibus ferè pronuncietur, contra *Hippocratem* Lib. 1. Epidem. Sect. III. asserentem, securissimam omnium, & facillimam & longissimam esse Quartanam. Non enim solùm ipsam à se ipsâ talem esse, sed etiam ab aliis magnis morbis liberare. H. *Mercurialis* Med. pract. Lib V. de febr. cap. XI. cum aliis Quartanam *Zerzeram* liberè vocat, sed cur *Querqueræ* vocem ex Lucilio & Plauto, in illam transmutet, modò non assequimur; sæpiùs *Variar.* ejus *lect.* libr. VI. cap. XX. propterea citatum vidimus, cùm verò nobis saltem sint istorum IV. Venet. 1571. impressi, non impetrare potuisse reliquos dolemus, fortè curatius quid in iis prodidit, quô nostra illucescerent. *Alii* & quidem majori jure *Hemitritæam* sive propriè ita dictam *semitertianam* esse contendunt; illam, quam φρικώδη Græci nominant sive *horridam*, *Hippocr.* epidem. I. non quòd initiô solùm accessionis horror appareat sed et in maximum tempus permansionis duret; ex continuâ & intermittente tertianâ cujus utriusque symptomata secum habeat, composita dicitur, sæpissimè tamen ex alicujus visceris inflammatione fieri, quæ verò nostra non est. Prolixiorem ejus characterem *Galen.* libr. II. de differentiis febrium, & *Sennertus* libr. II. de febrib. cap. XXI. suppeditabit: multò Hæc, si χρονισμὸν. excipias, quartanâ gravior, & *Hippocrate* teste, longè periculosior; quod & *Q. Serenus Sammonic.* satis ita confirmat;

Morti-

Mortifernm *magis est, quod Græcis* Hæmitritæum;
Vulgatur verbis: hæc nostrâ dicere linguâ
Non potuere ulli, puto nec voluere parentes.

ast neminem latere arbitramur medicum, in diversis subjectis eandem specie febrem modò mitiorem & leviorem, modò exasperatam & graviorem affligere; mitior & levior, sive quartana aliavé, neutiquam Querqueræ nomen meretur; cumque Tertiana, aliâs benignior, illam interdum acerbitate superet: itidemque sola intermittentium febrium differentia in magis vel minus fixo aut volatili principiorum eorumque excrementorum, quæ verò in abstracto & concreto ritè considerabis, consistat: nullam omninò earum in specie *Querqueram* dici posse judicamus, sed hanc, in genere *frigidam esse & cum horrore trementem Febrem.*

CAP. III.

Querqueræ curam absolvit.

UT *continuas* & *acutas* febres gradu, sic *intermittentes* & *chronicas* saltem materiæ peccantis firmitate differre diximus: missis igitur istis, quæ hujus loci non sunt, his sive *tertianæ* sive *quartanæ* sint curam intendimus eâdem, quam compendiose dabimus, methodo, & cui Φρικώδης parum limitationis insperget: quid multa? *Querqueræ* medebimur: *Quartana*, quam utique in querqueris agnoscimus, veteribus obstinationis & pervicaciæ ergò tantoperè maledicta, hodiè minori negotio pellitur. Despuimus magica & barbarum *Abracadabra*; quæque anili superstiti-

perstitione nituntur, detestamur cum iis qui nihil, quod modò salutis ferendæ gratiâ fiat, criminosum esse existimant. Præmonitum verò quempiam nos sequuturum volumus, ne insolitè superveniens quoddam despiciat symptoma, sed rationem ejus habeat debiteque provideat, non ut nostra immutet aut cavilletur; cumque ejusdem paroxysmi accessio duplex è diametro sibi contraria, quid in hâc agendum aut in alterâ omittendum, utraque enim diversa μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ expostulat remedia, item quæ in vel extra paroxysmum adhibenda, maturo judicio discernat; & sanè in hôc totius rei cardo versatur. Principiô non tibi pudori sit manum à curâ tamdiu suspendere, donec ex unâ alterâve iteratâ invasione febris faciem exactè cognoveris, quô factô, nî aliæ circumstantiæ prohibeant, aut ingruente paroxysmo aut non longè antè *vomitorium* exhibendum, consentiente *Celso*, ut primæ viæ saburrâ exonerentur, cujus copia vim alterius medicaminis alioqui obruens infringeret, aut irritam faceret. *Purgationes* propriè ita dictas tanquam majora incendia caveto; *Venæsectio* improbatur, eô quòd incendio majus spatium concedat & sanguinem quidem, ast causam neque diminuat neque emendet. Salis coagulum aut materiæ peccantis visciditatem optimè resolvent *Salia volatilia* præsertim *Urinæ* aut *ossium humanorum* liquore suo conservata, longiùs à paroxysmo data; & vitiosum sulphuris acorem ejusque ferociam efficaciter compescunt *alcalica* ita dicta *ossea* & *terrestria*, inter quæ magis *lapis scissilis* & *glacies Mariæ* hisque affinia, omnia verò superare videtur *Chrystallus montana*, cujus diversæ reperiuntur mineræ, non in il-

larum

larum speciem formatæ, sed in integrũ corp9 compactæ, istarũ altera fracta in strias longiusculas, altera in tot cubos minores sponte suâ cõcedit, hæ tãtæ duritiei nõ sunt ac chrystallus propriè dicta, quas tamen si non majoris, æquipollentis ad minimum virtutis comperti sumus, & quid multis? Idem *Arenâ,* totidem chrystallis minutulis perficies. *Specifica* febrium nulla sunt, quæ verò ita dicuntur, aut vitium emendant aut cohibent, quæque hic ex authoribus recensere, nil aliud esset, quam chartam commaculare: Hactenus increbuit à tẽpore aliquo antifebrilis istius, si Dîs placet, Panaceæ usus, *Corticis chinæ chinæ* sive *Quinquinæ* puta, quâ sibi ipsis ut ciconia crepitante suo rostro plauserunt plures medici superficiarii, qui licet omnia clarè & distinctè percipere & à priori demonstrare, in hoc tamen nescii, quam particularum figuram aut plexum efformare eiq; affingere velint. Si amaritiem laudant, illam in *Centaureo* & *Gentianâ,* ab antiquo febrifugis indigenis & excellentior reperienda, & in illum usum longè præstantior: Si experientiam jactent; si pulsæ febris exempla prædicent; si velint nobiscum deponere idem nos interiore *Quercus* cortice præstituros, præfiscini! spondemus; eâ cedere visa est sæpè febris, brevi iterum majori nisu ægrum oppressura; Futile remedium! perpendant aliorum observata, si plura nolint, tantummodò quæ *Miscell. Curiosa* decur. III. Ann. III. obs. CXLVIII. pag. 264. & Ann. IX. & X. obs. CIX. tradunt, lipothymiam, cachexiam, epilepsiam, hydropem, paralysin & alia multò majora mala, ex usu chinæ chinæ licet methodico suspensam aliquatenus febrem sæpiùs insequuta fuisse, & fortè resipiscent. Est & in *Arsenico* certum in modum præparato remedium

contra quartanam jucundum & chinâ chinæ longè tutius, quod tamen ne malevolis ansam calumniandi præbeamus, reticemus, ob id quoque nobis usui non est, cùm aliis non careamus minus suspectis. *Opio* verò debitè præparato & supradictâ chrystallo ppt. legitimè adhibitis nil potentius Archæum furentem, liceat ita cum *Helmontio* loqui, coërcet, quod remedii primò ex *Paracelso* hausimus, cumque illud quotidiè praxis probet, plura de iis, verba facere nolumus: en elegans & curiosum experimentum! quô in differentiam inter vires corticis Peruviani, s. chinæ chinæ & Opii inquiritur à cap. præced. nominato Dn. *Frid. Slario* loc. ibidem cit. Experimento VII. loco appendicis his verbis superaddito: Faciam hic obiter mentionem propositionis dignissimi cujusdam membri societatis nostræ, quâ jubebamus experiri, annon Cortex Peruvianus febrim artificialem à liquoribus nostris productam præveniret. Cujus rei factum quidem periculum fuit, sed eventus exspectationi non respondit. Fecimus enim infusionem corticis in aceto communi, ac eidem injecimus quantitatem salis memorati volatilis, ubi statim liquorum sensibilis commotio insecuta est, cum aliquo gradu frigoris, verùm tamen non erat ista adeò vehemens ut antea, cumque Opium cortici admisceretur, nequaquam eò pervenire observavimus, quò prius experimentum ascenderat. Ipsa interim aciditas in hoc casu haud quaquam penitus extinguebatur. Quod altius perpendi meretur. In algore neque potum, neque quid medicaminis dato; contrà æstu urgente & siti *clyssum Antimonii, mixturam simplicem*, aut *tincturam Bezoardicam sine camphorâ* grandiori dosi, in haustu vini capiat æger,

quô

quô mox infringitur æstus & sudore blando dissolvitur febris, cæterùm si velit æstuans ptisanam aut corn. cerv. decoctum spiritu Nitri aut sulphuris acida liberalius, vino adsuetus multâ aquâ dilutum bibat: victus sit tenuis & potissimùm frixa vitentur; reliqua medicus præsens & prudens disponet ac providebit. Denique febres alii morbo, quem solvere possunt, supervenientes non attrectare, sed intentatas naturæ relinquere satius esse monem9, Hippocrates II. de morb. VI. & aph. 51. 6. *Quibuscunque sanis derepentè dolores fiunt in capite, & statim voce interceptâ jacent, ac stertunt, in septem diebus pereunt, si non* febris *apprehendat.* Item I. Epidem. comment. 5. *si quis magno morbo corripiatur, ac* quartana *superveniat; liberatur;* & 5. aphor. 70. *Qui convulsionibus corripiuntur & deinde* quartana *succedat, liberantur.* &c. sic videmus interdum morbo medicinam esse morbum, & notamus, quod maximum in medicinâ sit

Judicio uti.

****

Erratum:

Pag. 23. lin. 18. pro demetiendæ *leg.* dimetiendæ.

Ad

Ad

CLARISSIMUM & PRÆEXIMIUM

DN. SAMUELEM JAENICHIUM,

Medic. Doctorandum, Fautorem suum & ex sorore Nepotem dilectissimum

προσφώνησις

Gaudeo, mi SAMUEL, merito, quod nobilis Ordo
Ex Medicis confert TIBI præmia digna laboris.
Præmia, quæ certè sunt sedulitatis, honoris,
Sat Studiorum satque laborum cum tolerasti.
Gratulor his ausis, faveat TIBI gratia Cœli
Utilia ut possis alimenta acquirere vitæ.
Hæc sunt, quæ toto TIBI grator pectore & istos
Ut majora brevi succedant Opto precorque.

ὁλοκαρδίως f.

CHRISTIANUS LAURISCUS,
Eccl. Welmiz. P. & S.
Anno æt. LVII. Minist. XXXIV.

****

Sic faustus venit iste dies, qui digna laborum
Præmia nunc præbet, *Frater amande, TIBI.*
Gratulor ergò novo *TIBI* de virtutis honore,
Sis *spes* ægrorum *præsidiumque* bonum.
Vive valeque diu sis *spes* patriæ atque medentûm
Delicium, cœptis annuat usque DEUS.

Pauca hæc fratri suo dilectissimo gratulabundus adposuit

M. JOANNES JAENICHEN,
Pastor Prim. Fürstenberg.